

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS


**SEMEL IN MENSE PRODIT**

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;  
ubique extra Italianam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo  
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

*Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem*

*ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA*



**Subnotatio fieri potest:**

**IN RUSSIA**

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA", Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM

Rakiewskie Przedmiescie, 15.

**IN ANGLIA**

Apud "KRONIKA RODZINNA", Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM

Krakowskie Przedmiescie, 6

**IN CIVITATIBUS FOEDERATIS**

AMERICAE SEPTEMTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

LONDON W.

28, Orchard Street.

NEW YORK

52, Barclay Street. 436, Main Street.

**IN GERMANIA**

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA

**IN CANADA**

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

**RERUM INDEX**

**Intimum VOX URBIS gaudium.**

**Annus MDCCCCIV.**

**Pactiones inter Apostolicam Sedem et Hispaniam de ordinibus religiosis constitutae.**

**De popularium studiis.**

**De arte poetica iudicra, seu de poesi artificiosa.**

**Ex Scotia. De quibusdam monumentis Christianis symbolos continentibus.**

**Geographicae res. Christiana Iaponiorum eruditio.**

**Oblata munera inter solemnia Canonizationis.**

**De Patrologica disciplina.**

**Fabulae selectae Fontanii a Io. Bapt. Giraud latine redditae, passim retractatae a Fr. Xav. Reuss: CXXVIII. Iupiter et Vector. - CXXIX. Felis et Vulpes.**

**Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.**

**Acta pontificia: SS. D. N. PII PP. X « Motu proprio » de constabilienda conditione hierarchica Ordinum Scholarum Piarum et Minorum in Hispania.**

**Diarium Vaticanum: Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Vita functi viri clariores. - Varia.**

**Annales: Arthuri portus deditio. - Russica seditio. - Africæ res.**

**Publici per Orbem coetus legibus ferendis.**

**Ioci: Clarorum virorum apophthegmata.**

**Aenigmata.**

*In secunda operculi pagina:*

**"Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis,,.**

*In tertia operculi pagina:*

**Monitum. — Per Orbem. — Epistolarum commercium.**

**ROMAE**

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCV

# *Sociis et lectoribus*

## *Commentarii nostri humanissimis.*

**N**ovo superveniente anno, quem VIII Vox Urbis inscribere gloriatur, non quidem, ut plerumque assolet, nova et magnifica promittemus; non enim sociis et lectoribus, qui constanter in itinere, neque eodem brevi atque expedito, nos comitati sunt, magniloquis verbis temerariisque promissionibus illudere opus est nobis, sed tantum ea adnotare quae in eorum veram utilitatem adducere constituimus.

*Vox Urbis* itaque in annum M DCCCCV ea erit, quam socii voluerunt: commentarium menstruum, qui non unum Urbis augustae matris sermonem, sed omnem cultum et humanitatem referat, eaque omnia quae inde, veluti ex radiationis centro, animos usque a longissimis orbis partibus amice cum genitricis animo coniungere valeant. Disputationes igitur, quae plerosque populos aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quæstiones suum locum apud nos hoc etiam anno invenient, atque simul nuncii, significaciones, et documenta, quae tum circa catholicam rem, quam tueri gloriamur, tum circa eventus peculiari nota dignos, in varietate quamquam, *simplex dumtaxat et unum* opus reddant nostrum.

Sed aliud quoque expediemus, quod non paucorum siorum desiderium explebit; articulos scilicet in quibus, quasi in parva tabula, simplici eoque facili stylo, descriptionibus, narratiunculis, dialogis, argumenta vitae maxime communia tractentur, unde liceat colloquia latine inire atque alere. Ita finem illum supremum, ut latinus sermo universalis, prouti dicunt, reducatur, non modo obliviscemur, imo etiam proprius prospiciemus.

\* \* \*

Maiora vero comparavit administrator; qui non modo immutatum reliquit pretium subnotationis, quod est in Italia lib. 4, 80; ubique extra Italiam lib. 6, 25 (doll. 1, 25; sch. 5; march. 5; rubl. 3; cor. 6, 25); sed ad magis magisque commentarium vulgandum curis creditum suis rationes vere favorabiles cavit, quae sequuntur:

**Si quis socios novos duos comparaverit, pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit; eoque bono gauderi poterit ipse subnotator novus, qui, sua vice, eadem gesserit. Quum iste scilicet socios alias duos nobis acquisiverit, facultas ei erit non duorum pretium, sed unius tantum mittendi, atque alterum faciendi suum, ut pretio pro subnotatione iam ante misso sese resarciat. Neque eum pudor teneat novos**

subnotatores de favore ipsi concesso aliquo modo certiores futuros: hi enim receptionis schedulam, veluti si pecuniam directe per se miserint, regulariter accipient. Haec una conditio, ut novi hi subnotatores intra menses duos, a propria cuiusque subnotatione decurrentes, requirantur, utque omnia ad Aristidem Leonori equitem (Romam in Italia, via Alessandrina, 87) recto tramite mittantur.

\* \* \*

Quid plura?... Plura tamen administrator concedere sociis voluit, eaque paene incredibilia; id enim effecit, ut *VOX URBIS* socii e loco domicilii sui in Urbem, atque inde in domicilium suum reverti gratuito possent. Id iis paratum est — bibliopolis, uti patet, exceptis — qui ante Iulium mensem an. M DCCCCV sexaginta novas subnotations collegerint earumque pretium integrum ad administrationem miserint. Societati itinerum notissimae Cook et Son munus commissum; ea, ubi primum a nobis certior facta erit, epistolarum commercium cum socio inibit, omniaque disponet ut is nullo impendio ab *Europae* loco ubi vivit Romam usque, atque Roma in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus, iter aggrediatur. Estne difficile nimis sexaginta socios novos comparari? En rursus benigne succurrit administrator: qui triginta tantum collegerit, dimidiatum pretium itineris habebit.

\* \* \*

Sunt tamen qui eiusmodi curas negligent: num his praemium nullum erit? Atqui erit sociis omnibus, qui ante expletum Februarium mensem an. M DCCCCV debitum solverint suum; idque, more nostro, pulcherrimum: *imago heliotypice expressa metr. 0,32 × 0,45 Pium X Pontificem referens sacris ad solemnia indumentis ornatum atque benedicentem.* — Quod si denique socius tabulam illam maluerit metr. 0,22 × 0,45 iam in nostrum commodum unice superiore anno desumptam, ac Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX an. M DCCXLVI peractam, quum exemplaria nonnulla apud nos sint adhuc, eam requirat, nosque, donec possibile erit, ei morem geremus.

\* \* \*

Restat nunc ut sollicitudini nostrae siorum favor in dies crescens respondeat.

*Vox Urbis.*

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra italiam:  
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:

ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

## Intimum VOX URBIS gaudium.

Annus MDCCCCV optimis auspiciis apud nos incepit; primis enim Ianuarii mensis diebus ARISTIDES LEONORI eques, Commentarii nostri possessor atque administrator, inter cubicularios suos ab ense et clamide munere honorario a Pontifice adlectus est.

Intimae laetitiae qua omnes circumfusi sumus qui cum eo in *Voce Urbis* laboramus, socrorum consensum responsurum confidimus.

## ANNUS MDCCCCIV.

**Q**UAE vota, quaeque spes, prolapsi nuper anni ad exordia, animum nostrum de pacis triumphis erigebant, ea profecto lamentabile fatum fallaci eventu dispersit. Nam contra ipsius Russorum Caesaris auspicia et auguria, quae ille tanta pompa Hagano in conventu celebraverat, apparuit brevi quam inane sit pacis desiderium, nisi cum summo iustitiae et caritatis studio consocietur.

Profecto Ianuarius mensis vix praeterierat, quum bellum illud tetricum atque atrocissimum inopinato prorupit, quo ipsa Russorum vexilla tam diuturnum tamque adversum fatum terra marique experiuntur. Februario mense ineunte classem hostilem Iaponii congrediuntur, demergunt navigia, litore potiuntur Coreano, suasque ibi innumeris copias inferunt, atque hostes Ia-lu ad flumen superant; Portum Arthurum stricta obsidione brevi deinde cingunt. Post ea diuturnis quidem pugnis et advelitationibus plurimis, at eadem semper fortuna, Russorum classis atque exercitus superata, disiecta, fusa sunt hinc inde, atque Coreanam terram omnem Iaponii tenent usque ad Tsa-ho flumen, ubi tandem hibernia posuere. Ea inter, varia vicissitudine et acerrima undique constantia Arthurianna obsidio deducta est per totum annum,

quoadusque novissimis diebus, Stoesselius ille vir fortissimus, dimissa omni auxiliorum spe, Nogio aemulo tradere arma coactus est, et in ditionem venire. Haec, hactenus relata summatis, atrocissimi belli eventus fuere, inter quos cruentissima tamen proelia pugnata sunt terra marique; praesertim vero circa Arthureensem eundem portum, ubi nonnulla quoque ex chalybe maxima tum Russica tum Iaponia navigia paratis sub unda ignitis tormentis disiecta inopinatis occursibus sunt et horrenda clade in mare una cum nautis suis omnibus et navarchis demersa: quorum princeps victima fuit Makarowius, Russorum navis praefectus, qui cum *Caesarevich* navi sua undis est obrutus.

Notandus vero inter reliquas belli vicissitudines Hullensis occursus, quem nova nordica Russorum classis, Rostojewnskio duce, passa in nordico mare fuit. Quae cum suo in itinere per natantem classiculam piscatoriam noctu transiisset, verita ne inter rates eius missiles naviculae Iaponiorum abderentur, in innocentes Anglos piscatores mortem inferre non dubitavit, qua ex audacia parum abfuit quin Angli quoque in aemulos suos arma sumerent.

Ut vero est, hac saltem ex parte, felici prudencia belli discimenem solutum, ita in Balkanica provincia gentium nostrarum sapientia fecit, ne nimiae ibi perturbationes orientur. Nam adducti sunt tandem Turcae ut in Macedonum fines, Italo praefecto militum De Giorgis duce, legiones christianorum vigilum deligerent, qui publicam tutelam exercebant, atque ea re ad pacem servandam praevalidum adiumentum conlatum est. Ad rem vero valde profecit foedus quoque Turcas inter et Bulgaros tandem initum, quo praesertim Macedonibus exsilibus cautum est. Sed ingravescit in dies Bulgarorum et Graecorum aemulatio, et per omnes provincias exardescit, eaque nunc, longe gravius quam Turcarum dominium Balkanicarum fines perturbat; non enim de Christiana religione vel Mahometana iam agitur, sed de provinciae imperio inter eos decertatur.

Regum Imperatorumque itinera et visitationes per reliquam Europam regnum pacis confirmarunt. Horum praecipua fuere quae Guilelmus primus Neapolim veniens cum Italo rege habuit; mox Loubetius, Gallorum praeses, Romam visitavit atque suae gentis amici-

tiam cum nostris confirmavit. Kielio deinde in portu Eduardus, Anglorum rex, Guilelmi hospes fuit, moxque Mariembadii cum Francisco Iosepho, Austrorum Caesare, collocutus est. In Balkanica autem provincia Ferdinandus, Bulgarorum princeps, Carolum Rumenorum regem Vindobonae vidit, atque Nischii pariterque Sophiae Petrum, Serborum regem, visitavit. Belgarum rex Berolini Guilelmum Caesarem anno ineunte viderat, anno occidente vero Lusitanorum rex Lutetiam et Londinum, populis acclamantibus, lustravit.

Ceterum sancta foedera ea per itinera, vel aliis modis renovata vel inita: Lusitanorum cum Anglis, Batavorum cum Danis, Gallorum cum Norvegiis, Anglorum cum Germanis, Iberorum cum Lusitanis, Americanorum cum Anglis atque cum Gallis, denique cum Italies. Quorum gravissimum censendum est quod Galli cum Anglis composuerunt suas circa discordias, quas de coloniali imperio dirimendas habent, idque maxime de Mauritaniae finibus et imperio, quod iamdiu coptae et numquam sedatae civiles discordiae pervastant, quarum pacificatio Gallis omnino suscipienda relinquitur.

Postremo pacis triumphus atque fidei Romae est sub anni occasu celebratus in Basilica Vaticana, convenientibus pompa solemnii ad Petri solium undique ex orbe christiano Episcopis, ut iubilarem primam commemorationem de edicto iam a quinquaginta annis suavissimo dogmate de Immaculata Mariae conceptione celebrarent. Quas preces, non Romae tantum, sed ubique gentium iis diebus ad Mariam Deiparam oblatas, impetraturas tandem a Deo optatissimas gratias confidimus, populis pacem et veram concordiam, Ecclesiae Christi de inferno hoste victoriam.

## PACTIONES INTER APOSTOLICAM SEDEM ET HISPANIAM DE ORDINIBUS RELIGIOSIS CONSTITUTAE.

DUM in Gallia gubernium in religiosos Ordines furit, foedusque cum Apostolica Sede longe sanctum vesana mente interrupitur, in proxima Hispania contra novae indu-

cuntur pactiones, quibus concordi mente novis pro temporum opportunitate rebus consulatur. Eas itaque hodie exhibemus, quem ad modum apparent ex Actis Pontificiis et Decretis SS. Congregationum, quae Fridericus Pustet bibliopola semel in mense vulgat; qui quidem latinae translationi notas addidit, praecipiens in novis hisce pactionibus quasdam adduci variaciones articulis 29 et 30 «Concordati» initi inter Pium IX et Elisabeth II Reginam Hispaniae anno 1851, die 16 Martii. Praeterea huic concordato articulos quosdam additos esse Conventione rata habita inter Pium IX et eamdem Elisabeth II Reginam Hispaniae die 25 Augusti 1859. Concordatum denique et Conventionem relata esse in opere cui titulus: *Conventiones de rebus ecclesiasticis inter S. Sedem et Civilem Potestatem variis formis initae ex Collectione Romana a Vincentio Nussi, Praesule domestico, etc. excerptae.* (Maguntiae, Kirkleim, 1870, pagg. 280-297 et 341-345).

Quibus positis, en novarum pactionum ratio:

« Sanctitas Sua, Summus Pontifex Pius X,  
et Sua Maiestas Rex Catholicus Hispaniarum  
D. Alphonsus XIII, ad dubia tollenda quae circa  
iuridicam conditionem Religiosorum Ordinum  
in Hispania exorta sunt et ad interpretationem  
ac vim statuendam, hac de re, sive articulorum  
vigentis Concordati, sive praescriptionum legis  
de Adsociationibus diei 30 Iunii 1887 sive au-  
ctorizationum Ordinibus Domibusque religiosis  
existentibus factarum, sive denique delibera-  
tionum ex parte variorum guberniorum circa  
hanc peculiarem quaestionem, decreverunt  
quamdam conventionem inire proptereaque  
suos Plenipotentiarios nominavere, nempe:

Sanctitas Sua Summus Pontifex Excēsum  
D. Aristidem Rinaldini, Archiepiscopum Hera-  
cleensem, Magnae Crucis Equitem regii Ordinis  
Caroli III et Leopoldis Belgici, nuntium Apo-  
stolicum in Hispanico regno, etc.

M. S. Rex catholicus Hispaniae, Excēsum  
D. Faustino-Rodriguez Sampedro, Magnae Cru-  
cis Equitem regii Ordinis Caroli III, etc., Se-  
natorem regni, a secretis Status, etc.

Quos inter post invicem tradita ac recognita  
suae plenipotentiae instrumenta, in articulos  
qui sequuntur convenerunt:

Art. 1. — Ordines et Congregationes religiosae in Hispania existentes die ratificationis praesentis conventionis, qui ante ipsius promulgationem normis statutis in Decreto circulari regio diei 9 Aprilis 1902 satisfecerint, personalitate iuridica quam in praesentiarum possident gaudebunt; ipsi erunt censendi comprehensi in exceptione statuta in paragrapho 1 articuli 2 legis 30 Iunii 1887 et se regent iuxta proprias regulas et disciplinam ac secundum dispositiones huiusce conventionis.

Art. 2. — Ordines et Congregationes reli-giosae ius non habebunt alicui subventioni vel auxilio ex parte status; subditi erunt in iis, quae proprium regimen canonicum concernunt, propriis Ordinariis et praelatis peculiaribus, iuxta regulas suorum statutorum et disposi-tiones iuris canonici et vigentis ecclesiasticae disciplinae, atque, in iis quae suas relationes cum civili potestate concernunt, legibus gene-ralibus regni subiicientur.

Quod si dissensiones exsurgant, Sancta Sedes et Gubernium Suae Maiestatis amice component difficultates superventuras.

Art. 3. — Domus seu conventus eorumdem  
Ordinum et Congregationum religiosarum erunt  
subiectae tributis regni quoad bona vel pro-  
fessiones industriasque quas exercebunt, cum  
paritatis conditionibus ac ceterae iuridicae per-  
sonae seu subiecta hispanicae, nunquam tamen  
subiicientur alieni tributo vel speciali exem-  
ptioni.

Art. 4. — Domus et Coenobia probantur  
quae tempore huius conventionis ratificationis  
erunt sedes Ordinum et Congregationum reli-  
giosarum de quibus sermo in art. 1; attamen  
interdicitur cuicunque erigere vel constituere  
novas domus ubi vita communis agatur absque  
praevio consensu episcopi dioecesani et sine  
licentia per regium decretum concessa. Omnes  
huiusmodi licentiae evulgandae erunt in epe-  
hemeride vulgo dicta *Gaceta de Madrid*.

Art. 5. — Domus vel conventus Ordinum Congregationumque religiosarum in quibus minus quam duodecim personae communem vitam agentes commorabuntur, suppressimendae erunt; earumque religiosi vel religiosae aggregabuntur ceteris conventibus vel domibus eiusdem Ordinis et de eorumque domibus et bonis, in quibus resideant tempore suae suppressionis, libere omnino disponent sui superiores. Cui obligationi non tenentur religiosae communitates in quibus minime conventionalis agitur vita, aut quae, ex propria regula, incumbunt operibus caritatis, iuvenum intitutioni, adsistentiae vel solatio infirmorum, senum, pauperum et derelictorum, itemque domus pro-  
curationis aut sanatoria quae variae Congrega-  
tiones Ordinesque possideant peculiaribus in  
locis. Articulus iste vim executivam obtinebit  
sex menses post huius conventionis in ephe-  
meride *Gaceta de Madrid* promulgationem.

Art. 6. — Nullus Ordo novus aut nova Congregatio poterit constitui absque licentia Sanctitatis Suae et sine praevio consensu Gubernii eum Sancta Sede per regium decretum in *Gaceta de Madrid* evulgandum tradito.

Art. 7. — Ordines Fratrum Doctrinae Christianae in eisdem conditionibus esse prosequentur cum eisdem iuribus ac beneficiis quibus nunc gaudent.

Art. 8. — Quoad adsociationes constitutas ad finem aliquem religiosum, quarum socii minime uniuntur vinculo professionis religiosae neque vitam degunt communem proindeque characterem non praeseferunt Ordinis aut Congregationis religiosae, statuitur, quod sine praeiudicio auctoritatis quae ad episcopos spectat in earumdem directione spirituali ac religiosa, ipsae moderandae erunt lege generali de adsociationibus et principiis iuris communis, absque ulla restrictione sive in praesenti sive in futurum. Ipsi curabunt ut in speciali libro inscribantur, de quo sermo in art. 7 eiusdem legis de Adsociationibus diei 30 Iunii 1887 atque ceteris eiusdem legis praecriptionibus satisfiant.

Art. 9. — Exteri nequeant in Hispania Ordines et Congregationes religiosas constabiliare in art. 1 relatas, absque praevia in regno domicilii constitutione iuxta legem communem.

Religiosi qui, propriam exterorum iuridicam conditionem retinentes, intrent vel resideant aliquo in conventu vel religiosa domo in Hispania existenti, subiicientur dispositionibus omnibus iuris communis vigentis quoad subditos exteros.

Art. 10. — In Ministerio Iustitiae peculiarias patebit liber in quo inscribendi sunt Ordines et Congregationes religiosae ad quos haec Conventio spectat, et ceteri qui, iuxta conventiones inter duas potestates, in posterum constituentur.

Art. 11. — Iustitiae ministerium, consentientibus Administrorum Collegio et Apostolica Sede, edicet oportunas normas et declaraciones quae erunt necessariae, ut haec conventio ad executionem mandetur quoad Ordines et Congregationes religiosas iam constitutas vel constitendas de communi duarum potestatum consensu.

Art. 12. — Huius conventionis ratificationum traditio Matriti quam primum fiet.

In quorum fidem plenipotentiarii respectivi  
huic Conventioni subscripsere et suis sigillis  
obsignaverunt.

Datum Matriti, die 19 Junii 1904.

† A. RINALDINI, Archiep. Heracleensis,

FAUSTINO-RODRIGUEZ SAMPEDRO,  
*Status Administer»*

## *Vox Urbis Commentarius*

*procuratores quaerit, qui apud exteris  
gentes atque in ipsis Italiae civitatibus  
magis magisque ipsum Commentarium dif-  
fundant; iisque amplam pro laboribus mer-  
cedem solvet.*

*Itaque qui rem sibi sumere posse credant, ubique sint terrarum ad ARISTIDEM LEONORI equitem, VOX URBIS commentarii possessorem atque administratorem (Romae, Via Alessandrina, 87) scribant, qui sua vice commercium epistolarum cum ipsis inibit, atque de re omnes explicationes suppeditabit. Iuvenes praesertim invitantur, qui latinam linguam callentes inde sedulitatis suae emolumenta percipere cupiant.*

DE POPULARIUM STUDIIS.

Q UI hodie vivunt et multiplicantur populi, quasi praecipuum studiorum obiectum esse facti coram universa humanitate videntur. Nam si iure esset hisce verbis utendum, populum dicemus numerum veluti reipublicae constituere, honestiores ordines contra vitam eius representare. Hi enim numerum illum permagnum suo veluti nutu movent, non aliter ac geometricae formae magnitudinem, quae certa figura continetur. Populum nuncupantes, opifices agricolasque dicimus. omnesque nimirum, qui la-

bore manuum vitam trahunt, quos Leo Pontifex maximam hominum multitudinem dixit.

Nomen vero hoc recolentes, dubia ferme ad mille exsurgunt: de mente eius et intellectu, de eruditione, de multitudinis moribus instaurandis, de viribus quas conferre in rem publicam gerendam illa queat, de ascensionibus, quae eius conatus pateant vel denegata videantur.

Sed de paupertate, de iuribus atque munib[us] eius innovandis perardua quaestio quoque est. Verum oeconomica haec, quae dicere iuvat, dubia multis iam doctorum elucubrationibus evoluta sunt. Id vero doctrina tantum tenemus, non lege; nam quae sancire suffragio legatorum in singulis gentibus oportet, perplurima sunt adhuc. Haec, quoad doctos, cognita saltem satisque explorata dici possunt.

Est autem aliud imis ex fundamentis opus aggrediendum. Omnibus enim persuasum iam est, magnum munus reipublicae nunc incumbere, ut agricolis opificibusque is locus restituatur in civitate, quem et natura iubet itemque religio.

Volvantis itaque horae, qui praecipiunt sunt indices, eos persequi oportet. Honestioris ordinis hinc enim studia eminent, inde ipsorum opificium de re sua negligentia et incuria: videmus enim quodammodo philosophos adlaborantes, dum qui laborant nil mente recognitant.

Haec anxium plane considerantis animum faciunt, neque facile innotescit quo melius interpretari ea liceat. Innumerabiles prope res, quae de opificum statu et iuribus docti viri scripserunt, ad trutinam revocarunt et subtili disquisitione examinarunt, recolere heic non iuvat. Sunt profecto haec pulcherrima publicae iustitiae vota, sunt naturalis iuris dilucidae maxime quaestiones, sunt nostrorum temporum et morum investigationes frequentissimae: iamque de populari iure praecipuum condicorpus incipit, quod et plebeium ordinem certis donet legibus et una simul cum ceteris ordinibus florentem efficiat.

De socialistarum vel de catholicorum opinionibus discrimen modo non facimus. Praetermittenda divisio haec ad tempus videtur, dum quae de socialistarum doctrinis deque assensu eius animadvertisse sunt, mentem eorum longius non mutant ab ea quam de instaurandis plebeiorum fortunis catholici servant. Iudicium itaque nostrum, modo quidem, non distinguit. Neque ad rem silere iuvat hanc eamdem conatum metam laudem potissimum catholicae fidei constituere. Nam ex tot doctrinis, quas socialistae concesserunt, nulla utilitas in populum effluxit; quidquid enim in plebis iuvamen cautum est christianam doctrinam, non socialistarum falsas opiniones, consequi apparuit.

Siquidem natura ipsa sua cuiusvis boni pariendo sterilis socialistarum doctrina mansit, neque ullum in populi utilitatem peperit fructum. Quod vero peragi in solamen pauperum viginti per saecula contigit, id ex Evangelii una lege cautum est. Nihilominus grave est et perarduum intellectu, qui nempe fiat ut tanta doctorum opera ab opificibus agricolisque ple-

rumque negligatur, quorum tamen in commodum tanta studia agitantur.



Hunc profecto fructum immediato effectu paraverunt fallaces socialistarum responsiones. Plures enim ipsi socialistarum doctores, fassi sunt libere socialistarum operam temporum necessitatibus non subvenisse, atque inde populares, fessis viribus, eorum agmina passim deseruisse.

Interea equestris ordinis qui sunt, veteri ritu pergendant viam suadent, populumque alienum a novis incoepitis dicunt, novamque doctrinam maxima iniustitia laborare argunt.

Socialistae contra medelas hactenus tanto sanando morbo propositas vanas fuisse queruntur, et inutiles, et nimium imbecillas.

Catholici denique causam popularium iustum socialistarum intemperantia late labefactatam asserunt, qui ex plebium paupertate medenda in sanctae religionis delendam causam corruerunt.

Quod vero ad catholicorum partem spectat, quam in rem assumpserunt, dum tacent clamaciones et plausus, non omnia tamen dormiunt. Quod enim solet de omni disciplina contingere, id de eorum quoque studiis in plebis bonum contigit. Superata nempe primae aetatis alacritate, prudentum consilia sequuntur. Qui, ut tanta virorum concordia ad optimum exitum evadat, maturius parandam censem sibi viam ad proximum triumphum. Hoc, dum tacet plenum spei silentium, incuriosus plebs causae suaे negligens, derelictum incoepit putat, quem cras forte, innovatis iuribus, sapientia Christi duce, resumendum habebimus.

A. C.

## DE ARTE POETICA LUDICRA SEU DE POESI ARTIFICIOSA<sup>(1)</sup>.

### Lusus in verbis.

**S**INGULARE huius lusus specimen exhibuit Ausonius in edyllo cui titulus: *Technopaegnion*. In eius proaemio versus omnes voce monosyllaba inchoavit et clausit. Praeterea monosyllabam extremam fecit initium versus insequentis, hoc modo:

*Res hominum fragiles alit et regit et perimit fors;*  
*Fors dubia aeternumque labans, quam blanda fovet*  
*[spes];*  
*Spes nullo finita aevo, cui terminus est mors, etc.*

Uti appareat, sunt versus monosyllaba voce, veluti catena nexi. Verum post proaemium monosyllaba voce iam non inchoantur, sed solum clauduntur, ut hi:

*Annus ab exortu cum floriparum reserat ver*  
*Cuncta vident, nemus omne viret, nitet auricomum rus,*  
*Et fusura umbras radicitus exigitur stirps, etc.*

Alius lusus in verbis, *epanalepsis* seu « repetitio » nuncupatus, est in distichis, in quibus prior hexametri pars cum caesura penthemimeri, posterior vero pars pentametri eadem continent verba. Huius artificii exempla iam

(1) Cf. num. sup.

suppeditarunt poetae classici. Legimus revera apud Ovidium:

*Militat omnis amans et habet sua castra cupido:*  
*Attice, crede mihi, militat omnis amans*

Et apud Martiale:

*Rumpitur invidia quidam, dulcissime Iuli,*  
*Quod me Roma legit, rumpitur invidia.*

Poetis vero insequentium temporum ita placuit hic lusus, ut ipso integra carmina componerent.

Sic Pentadius in carmine de reditu veris:

*Laeta vireta tument, foliis se sese induit arbor,*  
*Vallibus apricis laeta vireta tument.*

Et in carmine de fortuna:

*Res eadem assidue momento volvitur uno,*  
*Atque redit dispar res eadem assidue.*

Sic pariter Theodosius in carmine ad Carolum Magnum imperatorem:

*Qui regit arva, polum sit tibi, rex, fautor ubique*  
*Teque iuvet semper qui regit arva, polum.*

Et sic prosequitur.

Tertius lusus in verbis sunt versus *rhopalici* nuncupati, qui a voce monosyllaba ad vocem duarum, trium, quattuor, quinque syllabarum procedunt (ροπάλιον, idest « clavae instar »).

Hoc artificio componitur carmen quoddam paschale, Ausonii praedicti nomine editum, quod incipit:

*Spes, Deus, aeternae stationis induperator,*  
cui conformis est versus Prudentii (*Apoth.* 86):

*Nec capit humanis angoribus excruciali,*  
et hic versus Martiani (VI, 574, 31):

*O sacra doctorum prudentia fontigenarum.*

Lusus parum dissimilis sunt versus, cuius verba eundem numerum syllabarum continent: sunt scilicet *isosyllabica*. Tales reperiuntur memorati Porphyrii versus qui sequuntur, quorum prior continet tantum voces duarum syllabarum, alter trium, tertius quattuor, quartus quinque.

*Alme decus mundi summum, rector pius orbis,*  
*Auguste, invicta populos virtute gubernans,*  
*Iustitia imperii, nationum, Constantine,*  
*Effrenatarum moderamine pacificator.*

Lusus verborum est quoque versus in se continens omnes partes orationis, ut hic eiusdem Porphyrii:

*Heu nimis ad caelum properans, ni linqueret ille.*

Similis lusus est in versu in se continente sola nomina, ut hic etiam Porphyrii:

*Aeternum auxilium invictum iustumque piumque.*

Haud dissimilis est lusus in versu, cuius singulæ voces constant eodem numero litterarum, ut est hic poetae ignoti:

*Sperne lucrum. Versat mentes insana cupidio.*

Lusus verborum mirus est in epitaphio Vergili a Pentadio praedicto composito, ubi verba quaterna congruunt; insuper unaquaque vox hexametri et pentametri sensu sibi respondent. Eu epitaphium:

*Pastor, arator, eques, pavi, colui, superavi,*  
*Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.*

Scilicet: « Pastor pavi capras fronde; arator colui rus ligone; eques superavi hostes manu »

Est quoque lusus singularis verborum in hoc disticho, ubi singula verba hexametri et pentametri mirifice consonant:

*Quos anguis tristi dirus mulcedine pavit,  
Hos sanguis Christi mirus dulcedine lavit.*

#### Lusus in scandendo.

Est lusus in scansione cum versus scandi possunt non minus sinistrorum, id est a fine ad principium, quam dextrorum, id est a principio ad finem, vel recurrente eodem versus, vel alio. Dicuntur omnes versus *anacyclici*, seu *recurrentes*. En exempla:

I° Si legantur sinistrorum horum hexametrorum «litterae», recurrent iudicem versus eodem sensu:

*Roma tibi subito motibus ibit amor.  
Signa te signa temere me tangis et angis.  
Si bene te tua laus taxat sua laute tenebis.  
Sole medere pede, ede, perede melos.*

II° Si legantur sinistrorum horum hexametrorum «voces», recurrent iudicem versus, eodem quidem sensu sed parum concinno:

*Musa, mihi causas memora quo Numine laeso  
(VERG., Aen., I, 8).*

*Alme pater patriae, nobis te, maxime Caesar  
(PORPHYRIUS).*

III° Si legantur sinistrorum a fine ad principium «voces» huius distichi, recurrit distichon sensu eodem:

*Praecipi modo quod decurrit tramite flumen  
Tempore consumpto iam cito deficiet.*

IV° Si legantur sinistrorum, a fine ad principium «voces» huius distichi, recurrit distichon sensu contrario:

*Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum  
Scandere te fecit hoc decus Omnipotens.*

V° Si legantur sinistrorum horum hexametrorum «voces» recurrent versus pentametri; sed primus elumbis, alter sensu opposito:

*Est placitum superis tunc haec in gaudia mundi.  
Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo.*

VI° Si legatur retrorsum hic versus hexameter, recurrit «versus Sotadeus», id est ionicus a maiore tetrameter catalecticus in duas syllabas impurus:

*Esse bonus si vis, cole Divos, optime Pansa:  
cui similis est sequens versus Porphyrii (Carm.  
XXI):*

*Omne genus metri tibi pangens, optime Basse.*

Haec ad specimen dicta sunt; si placuerint alia proxime addemus. I. CLERICO.

#### Vox Urbis Commentarius

procuratores querit, qui apud exteris gentes atque in ipsis Italiae civitatibus magis magisque ipsum Commentarium diffundant; iisque amplam pro laboribus mercedem solvet.

Itaque qui rem sibi sumere posse credant, ubique sint terrarum ad ARISTIDEM LEONORI equitem, Vox Urbis commentarii possessorem atque administratorem (Romae, Via Alessandrina, 87) scribant, qui sua vice commercium epistolarum cum ipsis inibit, atque de re omnes explicationes suppeditabit. Iuvenes praesertim invitantur, qui latinam linguam callentes inde sedulitatis suae emolumenta percipere cupiant.



Scotorum symbolica monumenta.  
Lapis binos discos, lunamque crescentem ferens.

#### EX SCOTIA

De quibusdam monumentis Christianis  
symbolos continentibus.

MULTA in Voce Urbis de «Symbolismo» (1) legentibus, quorum res antiquiores intertunt, grata et accepta a «Seniore» scripta sunt.

Itaque sub oculis «Senioris» aliorumque lectorum ponere volo, si mihi licet, pauca exempla symbolorum (vel signorum), qui maxime in antiquioribus Scotiae monumentis Christianis occurunt, ut, qui sunt talium rerum periti, quasdam notas et figuram forte explicare possint.

Haec monumenta in tres ordines dividuntur a Iosepho Anderson, Custode musei Edinburgensis et a J. R. Allen F. S. A. Londini, in libro, superiore anno edito, cui titulus: *De monumentis antiquioribus Christianis in Scotia repertis.*

Hi ordines sunt:

I. Monumenta, in quibus signa sunt incisa. Huiusmodi lapides sunt rudes et asperi; nec ullo modo est superficies eorum parata ad varias figuram excipiendas. Signa quae in iis occurunt saepissime sunt bini disci, nonnunquam duabus curvatis lineis coniuncti, nonnunquam cum sceptro in forma Z interposito; vel luna crescentis plerumque simplex, sed saepe cum sceptro in forma V inieicta; denique signum «elephantis» nuncupatum, quod huius belluae rudem imaginem praeferat, qui symbolus saepe cum prioribus in eodem lapide invenitur. Ad haec adde «speculum» et «pecten», multaque alia quae conventionalia vocamus, aliasque figurae avium praesertim raptorum, pisces, ser-

(1) Cfr. an. V, n. XII et seq.

pentem. Sed in hac classe neque crux neque symbolus aliis distincte Christianus videtur, nisi forte pisces, quo ornabant Christiani cryptas in catacumbis; quam ob rem sunt qui hanc classem lapidum christianam esse negent.

II. Monumenta quae exhibent varia primae classis signa ornamentis celticis decorata ipsamque crucem aut alios symbolos Christianos.

Ad hos lapides signa primae classis transportari videntur et in eodem latere cum cruce aliquis symbolis nonnunquam praebentur, sed plerumque in altero crux, signa in altero latere stant. Horum lapidum superficies est plana vel dolata, in qua ornamenta et figurae exstant modo qui Italice *alto relieve* vocatur.

III. Monumenta in quibus nulla signa primae classis, sed crucis miro labore decoratae et scena e vita Domini Nostri aut Sanctorum depinguntur.


Horum autem symboli hand multum difficultatis praebent. Difficultas omnino primae classis inest signis quae in Scotia abundant.

Quid referunt? Quae eorum significatio? In lapidibus primae classis hi symboli soli stant; secundae classis inveniuntur disci, lunae crescentis, elephantis signa iuxta crucem et sanctorum et monachorum figuram insculpta; tertiae classis evanescunt.

Vehementer velim spero que quodammodo lectibus *Vocis Urbis* clavem inventuros, qua huius mysterii portas aperire possimus. Valete.

Scr. Edderton in Scotia.

DONALDUS MACRAE.



Scotorum symbolica monumenta.  
Lapis signum equi vestigii et avem raptorem exhibens.

## GEOGRAPHICAE RES.

Christiana Iaponiorum eruditio.

**E**a ab aetate, qua Tokiensis athenaei doctores, in unum convenientes ut suam religionem novae aetatis necessitatibus aptandam decernerent, concordi voce Christianam Fidem respuerunt quasi in suam gentem infensam, vix septen- nium exactum est; at omnia rursum immutata funditusque conversa videntur. Id potuerunt peregrines atque constantes Christi praecorum labores, quorum opera ubique miranda non solum in « atheos » atque in « materialistas » quos vocant, praevalidum munimentum excita- verunt, verum etiam fidelium quamdam et infidelium negligentiam et inertiam superarunt omnino. Neque huiusmodi emendationis desunt indicia; sitque nobis satis, quae Claudius Ferrandus, sacerdos Gallicus, Tokii in urbe evangelizator, ad rem scribit, enucleare.

Qui quidem in primis memorat cuiusvis humanitatis primum fundatum in puerorum eruditione esse constitutum; iuxta modum enim quo prima eruditio pueris traditur, eorum deinde mores maturos in annos effinguntur, atque ipsius populi consuetudines et reipublicae leges flectuntur, immutantur varia- que induunt faciem. Certum est enim, quum christiana eruditio defuerit in pueros diffusa, perarduum sacerdoti futurum adultos homines, inter errores et culpas senescentes suisque vi- tis implicatos, docere fidem. Quae enim man- suetudo teneris ab unguiculis hominem non possedit, perraro virum vel senem suis legibus imbuet; quae fides puerum non subegit, obdu- ratum aetate cerebrum difficilis flectet ad ob- sequium. Itaque quum hactenus maxima atque ingens esset obiecta obsistentia ne per Iaponiam terram sive puerorum ludi sive asyla conderen- tur, ubi Christi nomen esset sacrum, omnes plerumque sacerdotum conatus in propagandam eius legem ad irritum passim evaserant. At



Scotorum symbolica monumenta.

Lapis, altero latere crucem, altero praeter symbolos eorum similes qui praecedunt, scenam venatoriā praebens.

hodie Tokienses iuvenes omnes, qui Christi Iesu Evangelio adhaerent, unionem quamdam et societatem ferierunt invicem, atque conven- tum prope ipsum Tokiense athenaeum sibi constituerunt, simulque et sociis hospitium, in quo aequales sui excipiantur nostram fidem profitentes, vel qui in eam animum acclinem persentiant.

Haec inter, sacerdotes ipsi alterum idque latius sane locum constituerunt, cui nome *geshikuya*, ubi Tokienses iuvenes Christi asseclae et domum adinveniant et commeatus. Nam pleraque huiusmodi iuvenum hospitia, quae Tokii florescent, ea non sunt ubi severa morum probitas effulgeat, tutaque disciplina vitae vivenda observetur. Arbitrium hospitibus absque lege relinquunt nullaque tenellis animis educatio est; quamobrem quod hodie *geshikuya*

nostri regunt presbyteri, utilitatem pariet iuvenibus maximam sane, si, quamvis pauperrima origine ortum sit, optimos iam salutis genuit fructus.

Iamque ex fausto omne nouum surrexit consilium, ad quod audaces quidem nonnulli manus viriliter apposuere. Aedificium enim condere cogitarunt, ubi iuvenibus studiis operam praebentibus quasi domum constituent. Ferrandus ille sacerdos de re quasi expleta loquitur, atque augurali quadam facundia eam per partes enarrat, futuramque sobolem paene dinumerat quae ibi aletur, erudietur et in salutem universae gentis succrescat. Incepit praeerunt patroni ac tu-

telaria numina Iesus, Maria, Iosephus, no- menque eius erit sacro omne a Nazareth mutuatum. Domus exigua hactenus et tenui apta munero; at dilatabitur sensim si Deus dederit, si fideles subvenerint. Hebdomadarii ibi sermones ad hospites habebuntur, ad quos profecto et ethnici permulti auditores concur- rent. Exsurgent inde dubia et disceptationes multiplicabuntur, exque iis Christianae Fidei splendor, procul dubio, nitentior in dies afful- get. Sacellum paullatim ibi adiicitur, ubi sacri ritus suavi pompa celebrentur, quorum adlecti magnificientia venient et populares et inculti sacra Christi spectatum, ut ad eum conver- tantur.

Haec sibi avet Ferrandus; haec ut adamussim consequatur quam citissime iterum iterumque ex animo ominamur.


## OBLATA MUNERA

## INTER SOLEMNIA CANONIZATIONIS.

**N**ULLUM est, in Sanctorum canonizatione, ple- nius maiestate spectaculum, quam quum Romanus Pontifex, in Basilica Vaticana sub umbra ipsius Cathedrae S. Petri sedens, mi- tratus tandem surgit, et supra quā pollet auctoritate tanquam Ecclesiae universae Doctor et Caput, alicui hominū, iam inter Beatos cooptato, Sanctorum honores decernit. En gravisima, quae tum Pontifex pronuntiat, verba: « Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei catholicae et christiana Religionis augmentum, auctoritate D. N. Iesu Christi, BB. Apostolorum Petri et Pauli ac No- stra; matura deliberatione praehabita et divina ope implorata, ac de venerabilium Fratrum nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatum N.N. Sanctum esse decernimus ac Sanctorum cata- logo adscribimus; statuentes ab Ecclesia uni- versali illius memoriam quolibet anno die eius natali.... pia devotione recoli debere. In no- mine Pa\*tris et Fi\*lii et Spiritus\* Sancti Amen ».

Cantato dein hymno *Te Deum*, et invocato per appositam precem novensili Sancto, Sum- mus Pontifex Missam solemnem celebrat, in qua, sub Offertorio, variae fiunt oblationes, de quibus breviter disserere placet.

Offerenda munera, quae prope Confessionem S. Petri exponuntur, haec quidem sunt: I. Ce- rei quinque, quibus appicta est Canonizati effigies, quorum duo maiores pondus habent libra- rum sexaginta. II. Panes duo, stemmate Pon- tificis ornati, quorum alter deauratus, argen- tatus alter. III. Doliola duo: auratum unum, quod vinum continet; argentatum alterum, aqua repletum. IV. Caveae tres aviariae, ex quibus prima duos detinet columbos, secunda duos turtures, tertia aves aliquot minores. Caveis, in nuperrima Canonizatione adhibitis, forma erat aediculae rotundae, columellis deauratis circumseptae. Descripta igitur munera, tem- pore Offertorii, a variis ministris (inter quos nonnulli Religiosi, si Canonizatus religioso Or- dini fuerat adscriptus) ad Pontificem celebran-



Scotorum symbolica monumenta.

Lapis inferiorem partem crucis, Celto more ornatae, exhibens.

tem deferuntur, praeeuntque gestantibus tres Patres Cardinales.

Res autem oblatae (uti omnes in Ecclesia sacri ritus) mysticam habent et refertam utili doctrina significationem, quam obiter saltem memorare iuvat. Per «ceram» igitur, quam apes castissimae e rebus naturae pulcherrimis, quales sunt flores, collegunt, corpus Christi intelligitur, quod in virgineo Mariae sinu, labis omnis expertise, opera Spiritus Sancti formatum est. «Linum» sive «ellychnium», cereis immisum, animam Christi significat; accensa vero flamma denotat Divinitatem, quae Ignis consumens vocatur, et Lux est quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Referuntur etiam cerei ad ipsos Santos, quibus honores tribuuntur; illi enim lumina sunt splendidissima, quae sub modio iam non latent, verum, super candelabro posita, totam Ecclesiae domum illustrant.

Per oblatus «Panes» Ille designatur, qui de se dixit: «Ego sum Panis vivus, qui de caelo descendit». Quibus verbis et sacra Eucharistia designatur, et pabulum praedicati verbi divini, quo rite nutrita mens ad aeternam coenam perveniet. «Vinum» symbolum est divinae caritatis, qua bene ordinata, introducitur anima in mysticam Regis superni celum vinariam. «Aqua» designare potest huius mundi adversa, quorum fluctus non potuerunt in Sanctis extinguere caritatem.

Per «Columbos» tandem, «Turtures Avesque ceteras», variae significantur virtutes, quibus inclaruerunt christiani heroes ad apicem sanctitatis enisi. Columbi ac turtures assiduo suo gemitu imagines sunt Sanctorum, qui illatas Deo iniurias perpetuo lugent ac deprecantur. Idem alites, terci semper ac nitidi, a sordibus omnino abhorrent. Pacis sunt amantes, carentque propterea adunco rostro et pugnaci. Putres accipitrum designantur escas carneas, vesci soliti granis triticeis, corruptioni non obnoxii. Minores autem aviculae in deliciis habent Dei laudes concinere et, relicta sordida terra, consurgere in caelum, eiusque pellucida spatialis sulcare. Qui volucrum mores nonne apte adumbrant virtutes lectissimas, quas homines sanctiores exercere consueverunt?

Hactenus dictis, quae ad rem ipsam pertinent, liceat aliquid addere, quod dicentem respicit. In nuperrima enim Gerardi Maiellae canonizatione, is mihi obtigit honor, ut, indignus licet eiusdem Sancti sodalis, ad pontificium Pii X solium duos deferrem columbos, aurata cavea inclusos. Eo dum processi, subiit repente textus ille Psalmistae (*Ps. LIV, 6*): «Quis dabit mihi pennas sicut columbae?» Quae sententia quum, levi inducta mutatione, versum sapphicum efficiat, illico statui de oblatis columbis, si vel parum faveret musa, carmen scribere sapphicum. Quod paulo post compositum hic subiicio, lectorem rogans, ne illud censor dijudicet nimium severus.

#### PAR COLUMBORUM

S. GERARDO MAIELLA OBBLATUM.

«Quis mihi pennas dabit ut columbae,  
Queis ad excelsos, duce te, Gerarde,  
Evolet montes, ubi sanctitatis  
Palma virescit?»

*Has susurrabant mea labra voces,  
Quum, Pio sacris operante, binos,  
Aurea clausos cavea, iuberer  
Ferre columbos.*

*Alites, plumâ bicolori natos,  
Diceret vestem simulasse nostram:  
Nigricans illis toga; colla circum,  
Candida vitta.*

*O ut in terris (ita cogitabam)  
Caelitum mores retulit Gerardus!  
Castus ut vixit, pius et superni  
Cultor amoris!*

*O ut enixa prece supplicabat,  
Sive sub Christi cruce condoleret,  
Sive maternis recipi Mariae  
Posceret ulnis!*

*Ut sitit Iesum, quoties latenter  
Visit in templis Epulumque factum!  
Ardet ardenter; gena prodit imos  
Pectoris ignes.*

*Gaudet alatis adiisse votis  
Aetheris summas rutilasque sedes;  
Nec semel corpus, volitante mente,  
Surgit in auras.*

*Quo praeivisti, trahere me, Gerarde;  
Angulum caeli resera sodali;  
Da columbinis ego, te magistro,  
Moribus utar.*

FRANC. XAV. REUSS.

#### DE PATROLOGICA DISCIPLINA.

**S**ANCTORUM Patrum aetatem latius in dies et fusius historicorum investigationes recolunt.

Iam enim Tillemondii atque Ceillerii opera, quae saeculo XVII ac XVIII ineuntibus edita sunt, ieuna nimis lateque deficiente esse censentur, quum praesertim quae recens historicorum studia captarunt in minimis praesertim perscrutandis, frustra desiderentur.

Instaurata itaque historicae disciplinae fortuna, auctum est a saeculo scriptorum agmen, qui de Patrum scriptis deque christianae doctrinae emolumentis ab antiquissimis ecclesiae temporibus inquisiverint.

Munscherius, qui dogmatum historiam recoluit, Mohelerius, qui ad tertium usque Ecclesiae saeculum SS. Patrum gesta prosequutus est, Fesslerius, qui *Patrologiae Institutiones* digessit, Alziogus et Nirschlius, qui de re tractatum edidere, praecipui viri sunt, quorum opera inter Germanos Patristicae, quam dicunt, disciplinae studia evulgata sunt.

Maximum vero ad rem incrementum viri potissimum attulerunt, qui *Bibliothecae theologiae historicae* commentariis adlaborant, Germani sive sive Galli, quibus ex catholicorum athenaeis doctores praesunt; atque Mercatius quoque, Vaticanae bibliothecae «scriptor», magnam contulit operam.

Qui immo quum italico sermone interpretatus sit librum de SS. Patrum historia a Bardenhewero conscriptum, opus inter Italos vulgavit, quod inter Germanorum theologos sacrae patrologiae studium quam maxime fovit.

Quamquam desiderabatur adhuc a plurimis compendium quoddam brevius, ut claro quidem ordine digestae ac tuto iudicio notitiae de re enuclearentur, quae ad iuvenes erudiendos

essent satis. Expedita sunt haec a Bardenhewero ipso, qui tamen quum aerius hodie incumbat in magnum conscribendum librum de antiquissimis theologiae scriptoribus, potentibus obsequi haud valuit.

At Rauschenius, in Bonensi athenaeo doctor, amico in opus digne successit. Eius labore manualis liber conflatus est de patrologia et de historia dogmatum, quem superiore anno Friburgi editum laetantes passim viri docti excepterunt ubique, et Caietanus Bruscolius italicopergone Florentiae vulgavit lectissime.

Profecto Rauschenius in amplissima investigationum librorum quaestionumque segete veluti suo in praedio obversatur; neque liber est cordatis viris probatus, quem ille non novet, atque non in utilitatem legentis usurpet: sententias vero tantum colligit et brevi calamo adnotat, quas diurna investigatio suavit. Quodsi quaestiones sibi exponendae sint, sub indice adhuc, eas perbelle enucleat hinc inde ita ut aequo animo disputationis statum exponat auctoresque indicet, quos sequi vel legere iuvet, ut perspecta undique rei conditio habeatur; neque tamen quidquam omittit, quod vel auctoritate vel doctrina gravius videatur: itaque iucunda mente auctorem sequimur, dum omnia quae vel maxime recens criticae artis periti ad invicem obversantes disseruerint relata ad unguem habemus.

Duae insuper eminent prae ceteris in libro laudes; prima quae digestas ibi res complectitur, altera quae disceptationis modum respicit. Rauschenius enim, Dickampio doctore, ut ille fatetur, suadente, praeter scriptores Novi Testamenti «apocryphos», Veteris etiam «apocryphos» recoluit et addidit, etsi eorum opera ad christianas gentes nonnisi ex Hebraeorum tramite pervenerint. Id vero ideo cavit, quia ipsi apocryphi libri, etsi ex parte tantum post Christum natum digesti, ad cognoscendam tam latius historiam Ecclesiasticarum litterarum antiquissimam quam maxime adiuvant.

Rationem denique operis si perscrutemur, eam omnino historicam invenimus, ab «apologetica» maxime alienam; quod libri ipsius ea laus est, quam iterare de similibus operibus perraro licet.

Rauschenio itaque usi, tuto animo sumus de narratarum rerum veritate absque studio partium exposita; quo fit ut discipuli athenaeorum exerceantur satis ad veritatem nullo metu nulla haesitatione perquarendam, quod non facile obtineri solet. Disciplinarum enim studia ideo persequi oportet, ut, una caritate duce, nihil efficiunt, nihil falsum doceant, sed veritate tantum ministra, bonum fidei hominumque comparent.

#### FABULAE SELECTAE FONTANII

A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE  
PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS (1).

##### CXXVIII. — IUPITER ET VECTOR.

*Aurea templa forent, si quae periturus in undis  
Vovit nauta Deo munera, ferret item.  
At renuit, fugiente metu, sua solvere caelo  
Vota, licet fisco dura tributa ferat.*

(1) Cf. an VII, n. X.

« Exactore caret - sic cogitat impius - alta  
Qui colit astra, Deus; creditor ille piger. »  
Falleris, impia mens; vigilantia Numinis ardent  
Fulmina, sacrilegum prompta ferire caput.  
Vectus nave, Iovi mercator voverat olim  
Centum, dum saevit dira procella, boves.  
Bos homini non unus erat, poteratque elephantes  
Mille, semel nugans, addere turrigeros.  
Ut tenuit portum, vir coenat et ossa peresa  
Incendit, quorum fertur ad astra vapor.  
« En tibi - sic irrisor ait - mea fumida vota,  
Iupiter! his tauris exsatiare meis.  
Quidquid promisi, capis hoc in munere: fumus  
Pars tua sit; mihi pars cessit opima magis. »  
Dissimulat placida sub fronte Diespiter iram,  
Quae tamen erumpit denique fulminea.  
Umbra virum nocturna monet, latitare per agros  
Auri vim magnam, prodit et umbra locum.  
Huc volat admonitus, velut ad flammantia tecta,  
Allaturus aquas, currit anhelus herus.  
Cursor at in saevos latrones incidit, auri,  
Quo sese redimat, nec leve pondus habens.  
Sponte tamen, quo sospes eat, centena talenta  
Promittit, propria mox numeranda manu;  
Quippe sepulta suo (sub moenibus urbis) in horto.  
Displacet at cautis furibus ille locus.  
Quorum dux: « Aliis haec tu mendacia narra;  
Fer tua dona nigro (nam moriere) Stygi. »

## CXXIX. — FELIS ET VULPES.

Delphica templa, sua pro relligione, petebant  
Vulpes et feles, acre vafrumque genus.  
Par veterotorum, quo nil sceleratus usquam,  
Os habitumque piae Baucidis induerat.  
Ne pariat pietas impendia, carpit inemptas  
Altera gallinas, altera caseulos.  
Longa viae fallunt, blaterando, taedia: suevit  
Longa dies fieri garrulitate brevis.  
Certant et verbis: abigunt diversbia somnum,  
Quem tacitura solet mox generare quies.  
Discussis aliis rebus, vulpes ita feli:  
« Te supero - dixit - calliditate, soror;  
Artes mille mihi. » - Cui felis: « Suppetit una  
Ars mihi, nata tamen vincere mille tuas. » - [fervent,  
« Falleris. » - « Haud fallor. » Quae dum certamina  
Ecce canina sonat vox, metuenda feris.  
Tum felis vulpi: « Cerebrum nunc fertile technis  
Excute, latrantes ne tibi colla premant.  
Hos ego sic fugio. » Simul arboris ungue tenaci  
Summa petit, rapido non adeunda cani.  
Interea cursu vulpes secat arva, viasque,  
Quas sub humo caecas norat, anhela subit.  
At nusquam secura salus; haec repit in antra  
Curto crure canis, fumus et ipse sequax.  
Postremis erumpentem latebris, duo tandem,  
Queis cita planta, canes eneuere feram.  
Artes, si nimio sint plures, vix tibi prosunt;  
Dum varias adhibes, utilis hora fugit.  
Anceps consilium, quo tentes plurima, mitte;  
Una sit ars tantum, certa sed unde salus.

## \*\*\*\*\*

## Vox Urbis Commentarius

procuratores quaerit, qui apud exteris gentes atque in ipsis Italiae civitatibus magis magisque ipsum Commentarium diffundant; iisque amplam pro laboribus mercedem solvet.

Itaque qui rem sibi sumere posse credant, ubique sint terrarum ad ARISTIDEM LEONORI equitem, Vox Urbis commentarii possessorem atque administratorem (Rome, Via Alessandrina, 87) scribant, qui sua vice commercium epistolarum cum ipsis inibit, atque de re omnes explicationes suppedabit. Iuvenes praesertim invitantur, qui latinam linguam callentes inde sedulitatis suaem emolumenta percipere cupiant.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS  
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

## Ex Congregatione Sancti Officii:

In Missis adhiberi potest aqua naturalis potabilis, quamquam acidula, gassosa vel alcalina. (Ex litt. R. P. D. Sancti Officii Assessoris excē Episcopo Anglonen. et Turtien. d. xi mens. Augusti an. M DCCCC IV).

— Dispositiones, quibus cavetur ne clerici servitio militari subiecti promoteantur ad Ordines Maiores ante expletum ipsum servitium militare, praecettivae sunt, non tantum directivae. (Ex decr. d. i mens. Sept. an. M DCCCC IV).

## Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indulgientiarum et Sacrarum Reliquiarum:

Dignitates seu Canonici, Beneficiati aliquie Chorales omnes, qui sive conficiendis Processibus tum Ordinariis tum Apostolicis in Servorum Dei ac Beatorum causis operam navant, sive uti testes vocati fuerint, habendi sunt, intra vel extra Urbem, tamquam praesentes in Choro, mutato officio; et ideo omnia percipere debent emolumenta etiam eventualia. (Ex decr. d. XIII mens. Iulii an. M DCCCC IV).

— Verba Rubricae Ritualis Romani cap. 4 Officium defunctorum, quae ita leguntur: « In die vero... anniversaria duplicantur Antiphonae », intelligenda sunt non de primo tantum anniversario, sed etiam de ceteris anniversariis sequentibus annis celebrandis. (Ex decr. d. iv mens. Novembr. an. M DCCCC IV).

— In missa solemni coram Episcopo celebrata Canonici venientes ad circulum et ab illo recessentes ad Agnus Dei utroque genu flectere versus Altare debent, nisi ex consuetudine obtinuerit genuflexio simplex, iuxta decretum Rhemen. 20 Maii 1904 (1). (Ex decr. d. iv mens. Novembr. an. M DCCCC IV).

(1) Cfr. Vox Urbis an. VII, n. IX, pag. 70.

## ACTA PONTIFICIA

## SS. D. N. PII PP. X.

## MOTU PROPRIO

De constabilienda conditione hierarchica Ordinum Scholarum Piarum et Minorum in Hispania.

(Cfr. num. sup.).

VIII. Quidquid a Curia Regulari, quae Romae est, pro auctoritate edicendum erit, per Vicarios Generales ordinario transmittatur. Quin vero ab iisdem Vicariis edoceantur ac votum exquirant, Supremi Moderatores Ordinis nulli obedientiam quam vocant, ordinario dabunt extra fines Hispaniae exsequendam. — Nemo autem Religiosorum egredi ex Hispania poterit, etiam ut Romam veniat, nisi facultate facta a Magistro seu Praeposito Generali: quod si ab hoc arcessatur, abnuere nequaquam poterit eo pergere, quo advocabitur.

IX. Supremo Ordinis Antistiti reservantur novae domorum fundationes, expulsiones Religiosorum eorumdemque dimissiones ex Ordine, exequitio Rescriptorum apostolicorum quae commissa fuerit Moderatori maximo, nulla mentione facta Vicarii Generalis hispani: item statuta et mandata quae quamvis statutorum generalium mutationem minime importent, quovis tamen modo *substantialia* Ordinis attingunt.

X. Vicarius Generalis ius habet invisendi etiam per delegatos, domos universas quae in Hispania sunt quaeque cum Provinciis hispanis sunt coniunctae. Ad eundem vero appellandi ius est Religiosis omnibus, qui eius ordinaria vel delegata auctoritate reguntur. Incolume tamen esto Magistro seu Praeposito generali ius invisendi, etiam per delegatos, domos quae Vicariis subsunt, itemque excipiendi appellations Religiosorum quorumcumque qui Vicarii eisdem subduntur.

XI. Religiosi hispani, qui necessariis ornentur doibus eligi poterunt ad munia quaecumque universi

ordinis gerenda etiam ad Magisterium maximum: quare in Capitulis generalibus omnes et singulæ regulares provinciae Hispaniae iura omnia et officia habebunt, quibus ceterae utuntur. Praeterea religiosi hispani ius habent ut unus saltē ex eorum numero sit *Assistens* vel *Definitor Generalis* in supra Ordinis Curia, prout leges eiusdem Ordinis ferunt. — Item Vicario Generali ius esto idoneum e suis alumnū praeſentandi, a Ministro seu Praeposito Generali ad triennum tantum adprobandum, qui *Vice-procurator Hispaniae* Romae sit (nisi ipse Procurator Ordinis universi Hispanus fuerit), habeatque secum adiutores pro munere. — Tandem Vicarius Generalis tertio quoque anno Romam veniat ut (salvo iure visitationis quod Moderatori Generali competit) *vice procurationem* hispanicam invisat, deque statu Provinciarum Hispaniae supremo Ordinis Antistiti rationem reddat.

XII. Quum Ordo Minorum S. Francisci itemque Scholarum Piarum unicus sit atque individuus, religiosae professiones non in manibus modo Superiorum Hispaniae emittantur, sed praecipue, immo vero necessario, in manibus Ministri seu Praepositi totius Ordinis.

XIII. Vicarii Generales tum Minorum tum Scholarum Piarum, qui nunc sunt in Hispania, itemque qui a consilio eisdem sunt, hac vice tantum, biennio in munere permanebunt: elapsō biennio, Capitulum interprovinciale, ut supra dictum est, celebrabitur. — In posterum autem, ut rectius res eveniant, iidem Vicarii Generales eorumque Consiliarii suo munere decadent quoties Capitulum generale cogetur, elapsō videlicet mense ab eius celebratione, ut supra editum est art. III.

XIV. Si qui demum actus, ob *substantiales* defectus, nulli fuerint atque illegitimi usque ad horam receptionis huius Motu-proprieti; eos, si sanabiles sint benigne sanamus et convalidamus.

Hae Nostrae declarationes et praescriptiones, vix atque acceptae fuerint, pleno robore fruentur, non obstantibus quibuscumque etiam specialissima mentione dignis.

Patrocinium Immaculatae Virginis Mariae opemque Francisci et Iosephi Patrum Legiferorum Religiosi Minoribus et Scholarum Piarum hispanis implorantes, Franciscali et Calasanctiana Familiae universae apostolicam benedictionem paterna charitate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum in die festo SS. Apostolorum Petri et Pauli MCMIV Pontificatus Nostri anno primo.

## PIUS PP. X.

## DIARIUM VATICANUM.

(Die xxii mens. Dec. M DCCCC IV - die xx mens. Ian. M DCCCC V).

## Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites alias viros, qui sui cuiusque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt, iuxta admissionis diem: Sacer Senatus, legatusque omnes exterarum gentium apud Apostolicam Sedem, omnia in novum annum offerentes; peregrini ex Tridentina provincia a Galeazzo de Thun Hoenstein comite coram adducti; Philippus Orsini princeps Solio Pontificio adstans; Hyacinthus Cormier, Ordinis S. Dominici administer generalis; Mathias Raus, rector Congregationis SSmi Redemptoris; Pechenard antistes, rector athenaei catholici Parisiensis; Gordey, Parisiensis Vicarius generalis cum parochorum manu eiusdem civitatis; Lugdunenses peregrini ab eō archiepiscopo suo coram adducti, inter quos Dadolle antistes, illius catholici athenaei rector; Eugenius Pongracz, Hungarus dynasta; Iacobus Radini Tedeschi, Bergomensis episcopus electus.

## Pontificiae electiones.

Emus vir Franciscus Cassetta Sabinae episcopus, loco emi viri Marii Mocenni, vita functi, deligitur.



# Vox Urbis Commentarius

procuratores quaerit, qui apud exteris gentes atque in ipsis Italiae civitatibus magis magisque ipsum Commentarium diffundant; iisque amplam pro laboribus mercedem solvet.

Itaque qui rem sibi sumere posse credant, ubique sint terrarum ad ARISTIDEM LEONORI equitem, Vox Urbis commentarii possessorem atque administratorem (Romae, Via Alessandrina, 87) scribant, qui sua vice commercium epistolarum cum ipsis inibit, atque de re omnes explicationes suppeditabit. Iuvenes praesertim invitantur, qui latinam linguam callentes inde sedulitatis suae emolumenta percipere cupiant.

## PER ORBEM.

HUMANARUM rerum id profecto lamentabile est, ut, quodcumque sit vitae genus, quaevis hominum ars, nulla tamen a fortunae ictibus immunem praestet; sed et militia pariter et ius, sapientia et philosophia, manuum labores terrarumque cultus iisdem obnoxia infortuniis iisdem calamitatibus fiant.

Haec menti redibant Idibus Ianuariis, quum audiebamus grave discrimen quod Neapoli in athenaeo iuvenibus doctrinis operam dantibus contigit, quos in summo sapientiae templo Deus a mortis proximo discrimine vix sospitavit. Nam, dum hi in aulis ad S. Andreea lectorem de viventibus in corporibus hominum viribus exaudiebant, altus repente fragor insonuit. Ecquid igitur? Nonnulli ex discipulis, qui nimio forte doctrinae desiderio capti in summis aulae subselliis stabant, nescio qua causa repente conciderunt, atque fracta hic illic membra retulere. Aufugerunt ceteri iuvenes certatim exterriti, aufugerunt doctores, ac turmatim ad ostia ut exitum captarent pugnabant. Vulnerati tum ex prolapsu, tum ex precipiti fuga plurimi.



Haec dum in athenaeo flunt, hiems rigidissima, quae vel Neapolitano ridenti sub polo saevit, per vias urbis grassatur atque misellos aggreditur plebis filios, qui nec satis cibi, nec satis vestium eius ad vim expellendam habent. Et profecto in *Reclusorii* quam dicunt platea senem quemdam usque enecavit, qui quum septimum supra octogesimum annum feliciter iam explevisset, haud certe praeoverat sese hiemis rigore iri confectum.



Ea inter, multa profecto audacia praediti invidentur Angli nautae, qui hac tempestate, ne-

que oceani procellis neque hiemis asperitate deterriti, auri fame compulsi in thesauri quaestum profecti sunt. Hi ad Coccois insulas quum appulissent, ubi conditum aurum dicebatur, armis repulsi sunt ad navigia ab Haraldo Gray americano duce, qui a Costaricana republica primus aurariae illius insulae dominium accepit. Eam ob rem Costaricani milites intervenire coacti sunt, ut contendentes hinc et inde cohiberent.



Navalis fortuna alia fuit quam *Loire*, Gallica navis, experta est prope Philippopolim. Quae quum secum ex corticibus arboreis deferret pondus, hoc repente ignis aggressus est et brevi a ligneis acervis ad navis ipsius parietes transgressus, nautarum vitam summum in discrimen attulit. Iis vero optima in tanto periculo sors occurrit: navigium fuit, quod prope eos transgrediebatur, cuius a nautis recepti sunt et sospites facti.



Tutius contra iter regulis patet terra marique. Zanzibarianus Caesar, *Koerberium* navigium descendit, Ougandam regionem lustrat, eius maximos per lacus discurrevit atque Moulaza ad portum appellit. Inde vero Londinum Caesar proficiscitur legatus suae gentis ad Eduardum regem, ut iura et res publicas populi sui apud eum tueatur. Iacobus autem ille, Saharianus Caesar, licet, ut in superiore fasciculo diximus, militiam, classemque amiserit, pecuniae tamen satis adhuc habet, ut per Europam discurrat. Igitur Lucernam in Helvetiis tenuit, ibique dicitur orationem habiturus ad populum Helveticum, ut ibi forte assecelas et discipulos nanciscatur, qui una secum ad Saharianum desertum descendant. Quos profecti pingui stipendio, ut ille solet, deligat, haud difficile credo fore ut magnum eorum nume-

rum inveniat. Quum vero tandem aliquando pecunia defecerit, quid de regno, quid de Caesare erit?



Profecto diuturnum magis regnum doctrinae et bonarum artium quam pecuniae est in terris. Et sane: nonne in theatro musices maximo Lutetiae repetitum centies musicum opus actum est, a Georgio Bizetio conscripto, quod a *Carmen*, Iberica virgine, nomen celeberrimum habet? Proxime vero *Manon* quoque dramatis a Massenet inventi quingentesima representatio habebitur, cui aderit propitio fato auctor ipse, et meritissimos plausus excipiet; quos ferme, prae militum dueibus et prae victoribus populorum, liberalium artium et doctrinarum cultores iure meritoque lucrantur.



## PISTOLARUM COMMERCII.

Cl. v. IO. BAPT. FRANC..., Augustae Taurin. — Nonne me mortuum putas? At spero breve fore ut ad te longius scribere possim. Ignoras interim homini curis oppresso, meque antiqua dilectione prosequaris.

Cl. v. REG. MUL..., Berolini. — In II aenigmate num. sup. pro memoris lege memoris. Ah! istae litterulae!

Cl. v. ANT. BERN..., Lugduni. — Opus quod desideras, bibliopola ipse ad te mittet.

Cl. v. PETRO TERGESTINO. — In proximum numerum.

Cl. v. IAC. TAS..., Molosmii. — Gratias tibi ago et habeo. Fausta cuncta, prospera, felicia tibi, uxori, liberisque... futuris! — Ec quando scripto aliquo *Vocem Urbis* honestabis?

## SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, via Alessandrina, 87) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

---

## SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae «Congregations» aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

---

**SATURIO**, Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Joanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO.